Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



XXXVIII

In diebus illis egrotauit Ezechias usq; ad mortem et ingressus
est ad eum Ysaias filius Amos propheta et dixit ei Hæc dicit dominus
Disponere domui tue quia morieris tu et non viues. Et conuertit
Ezechias faciem suam ad parietem et orauit ad dominum et dixit. Obsecro
domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate et in corde
perfecto et quod bonum in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu
magno. Factum est uerbum domini ad Ysaiam dicens. Vade et dic
Ezechiæ hæc dicit dominus deus David patris tui audiui orationem tuam
et vidi lacrimas tuas, ecce adiicam super dies tuos quindecim annos et
de manu regis Assiriorum eruam te et ciuitatem istam et protegam eam
hoc autem tibi erit signum a domino quia faciet dominus uerbum hoc quod lo-
cutus est Ecce ego reducam umbram linearum per quas descendit
in horologio Achaz in sole retrorsum decem lineas. Et reuersus est
sol decem lineis per gradus quos descenderat. Oratio Ezechiæ
regis Iude cum egrotasset et conualuisset de infirmitate sua. Ego
dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæsiui residu-
um annorum meorum. Dixi non videbo dominum deum in terra viuentium. Non
aspiciam hominem ultra et habitatorem quietis. Generatio mea ablata est et
conuoluta est a me sicut tabernacula pastorum. Præcisa est velut a tex-
ente vita mea dum adhuc ordiretur succidit me. De mane usq;
ad vesperam finies me. Sperabam usq; ad mane quasi leo sic con-
triuit omnia ossa mea. De mane usq; ad vesperam finies me.